



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

23. De consecranda Ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Item de eadem re. *Ibidem.*

Interpretat.
leg. un. Cod.
Theodos. de
inql. & co-
lonis.

X X I I. Si quis colonum alienum in re sua triginta annos habuerit, ac si suum vindicet. Qui infra triginta annos inventus fuerit, à domino cum filiis sibi debit is & omni peculio revocetur. Si verò mortuus fuerit, peculium ejus dominus recipiat. Colona verò si viginti annis in alieno dominio permanserit, à priori domino non requiratur. Colonum duæ partes agnationis sequantur, colonam verò tertia pars. Nam si agnatio infra viginti annos edita fuerit, quando adhuc colona domino competit, repetentibus non negetur; quia in modernis legibus est constitutum. Sanè, ne separatio conjugij fiat, præcipimus ut dominus coloni vicaria muliere cum agnatione partis tertiae non negetur.

De consecranda Ecclesia. *Ex Concilio
Uvormaciensi.*

Concil. Bra-
car. 2. c. 5.
Concil. Uvor-
mat. c. 3.
Burchard. lib.
3. c. 37.

X X I I. Placuit, quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopus invitatur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat; sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuat. Attamen unusquisque Episcopus meminerit ut non priùs dedicet Ecclesiam nisi antea dotem basilicæ & obsequium ipsius per donationem cartulæ confirmatum accipiat. Nam non levior est ista temeritas, si sine luminaribus vel sine substantiali sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt quam si domus privata consecre-

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 41
tur Ecclesia. [Vide lib. 3. Leg. Longob. tit. 1.
cap. 47.]

De libertate Ecclesiarum. *Ex Capitularibus,*
titulo LXXXI.

X X I V . Sancitum est ut unicuique Eccle-
siæ unus mansus integer absque ullo servitio
attribuatur, & Presbyteri in eis constituti non
de decimis , nec de oblationibus fidelium , non
de domibus , neque de atriis , vel hortis juxta
Ecclesiam positis , neque de præscripto manso
aliquid servitium faciant præter ecclesiasticu-
m. Et si aliquid amplius habuerint , inde
senioribus suis debitum servitium impendant.

Lib. 1. Capi-
tular. c. 91.
Burchard. lib.
3. c. 12.
Walter. Au-
relian. c. 9.

De termino Ecclesiarum. *Ex eodem,*
capite CXVII.

Ut terminum habeat unaquæque Ecclesia Lib. 1. Capi-
de quibus villis decimas recipiat. tular. c. 155.

De novis Ecclesiis. *Cap. LXXXVII.*

X X V . Statutum est de villis novis & Ec-
clesiis novis ibidem noviter in eis constitutis
ut decimæ de ipsis villis ad easdem Ecclesiis
conferantur.

Lib. 1. Capi-
tular. c. 93.

Item ex eodem, cap. v.

X X V I . Quicunque voluerit in sua pro-
prietate Ecclesiam ædificare , cum consensu &
voluntate Episcopi , in cuius parrœchia fue-
rit , licentiam habeat. Veruntamen omnino
providendum est ut aliæ Ecclesiæ antiquiores
propter hanc occasionem suam justitiam aut
decimam non perdant , sed semper ad anti-

Capitulare
Karoli M. ad
Salz c. 3.
Burchard. lib.
3. c. 7.